

## De POLONIAE

ET VNGARIAE DESCRIPTIO. Vngaria regio multo tempore peregrinarum gentium fuit sedes, Olim enim habauerunt in ea Pannones & Peones, deinde Gothi, post Gothos Huni, post Hunos Langobardi, Langobardis rursus successerunt Huni, & tandem occupauerunt eam Vngari anno scilicet Christi 900. Et cum multa mala intulissent toti Germaniæ, anno Christi 954. à Cæsare Ottone prope Augustam Vindelicorum cæsi, humiliores effecti sunt. Postea anno Christi 1005. Sanctus Henricus imperator tradidit sororem suam Giselam duci Vngarorum in matrimonium, ut infidelis vir per mulierem sanctam Christo acquireret, id quod & breui factum est, appellatusque fuit in baptismo dux ille Stephanus, primus Vngariæ Christianus rex, cui successerunt 28. reges usque ad Ferdinandum, qui hoc tempore regnum illud possidet, & est in ordine uicesimusnonus rex. Fuit Vngaria ante paucos annos latissimum regnum, sed per Turcas magna pars est illi adempta. Anno enim Christi 1396. ablata est Bulgaria. Deinde anno 1521. expugnatum fuit Belgradum, uulgo Kriegesuiffenborg, unicum Vngariæ contra Turcas præsidium.

Poloniæ ducatus ab imperatore Ottone secundo erectus est in regnum, sed paulo post cum rex cristas erigeret contra Imperatorem, rursum fuit regnum in ducatum redactum, man sicque ducatus tributarius Romano imperio usque ad annum Christi 1077. Tunc cum Germaniæ principes sediciosi essent contra imperatorem Henricum quartum, dux Poloniæ propria autoritate sibi imposuit regium diadema, unctionis ab episcopis quos in ducatu suo habuit. Metropolis totius regni est Cracovia, sita ad flu. Vistulam, quam aiunt denominatam & constructam anno 50. post Christum natum à Craco primo regonis duce. Est terra ipsa plurimum nemorosa, habens multa pecora & feras, præsertim equos sylvestres, uros, ceruos &c. Fodiatur in regno sal plurimum, unde incole maximum faciunt emolumen, deinde nemora abundat apibus & melle, quæ ferè Polonorum sunt diuitiae.